









Quod DN. DEUS Noster benè beateq; vertat! D. XXXIX.  
DISPUTATIO JURIDICA 796.

*1668*  
DE  
SECUNDIS  
NUPTIIS, *23*  
*Art. in. de Divortij*

*Quam,*  
Magnif. Jctorum Collegio approbante,  
SUB PRÆSIDIO

VIRI  
MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI,  
DN. CASPARIS ZIEGLERI,  
J. U. D. & Antecessoris in hac Academia, famigeratissimi, Sereniss. ac Potentiss. Electoris Saxoniae Consiliaril, Facultatis Juridicæ Ordinarii, nec non p. t. Decani, Curia Provincial. Consistorii Ecclesiastici, & Scabinatus Affectoris gravissimi, dignissimi,

*70*  
Domini Patroni ac Praeceptoris sui plurimum  
Observandi,  
Publico Examine submittit  
AUTOR

CHRISTIANUS WEGEL

Hennebergiâ-Francus.  
IN ATHENÆO JCTORUM,  
d. Maij.

---

WITTEBERGÆ, Typis Johannis Haken, 1668.

*39*



VIRIS

*Admodum Reverendo, Nobilissimis, Amplissimis atq. Consultissimis,*  
**DN. M. JOHANNI LINCKIO, Theo-**  
 logo præclarissimo, nec non Superintendenti Gothano-Henne-  
 bergensi Dignissimo,

**DN. G. CHRISTOPHORO LUCANO,**  
 Juridico, nec non Ærarii Magistro, Hassiaco-Schmalkaldienfi,  
 prudentissimo, spectatissimo,

**DN. VALENTINO RÖDERO, J. U. L.**  
 nec non Practico præcellentissimo, conspicuissimo,

*Dn. Mæcenatibus, Patronis ac Favoribus suis præcipuò Reverentia,  
 Honoris & Observantia cultu prosequendis,*  
 S. P. O. P.

Cùm inter homines cognationem quandam natura constituerit, ut elegantissimè ait Jctus Florentinus in l. 3 ff. d. 7. & 7. consequens est, non solum illud, hominem homini insidiari nefas esse, ut ipse ibi in subjecta sibi materia infert, sed etiam hoc, homini ab homine omnibus, quibus potest, modis benè fieri oportere, fas atq; ipsum naturæ jus, tanquam conuata atque tacita quædam agendorum præceptrix, omninò flagitare; quod verissimum JConsulti effatum luculentius nobis inculcant hodiè quidem Divinæ literæ, areò majori admiratione q. dignum, illud ex homine Ethnico proferre nos pigere tamen non debuit. Jam si tantæ efficacis ac potentia existit absolutus s. primus ille inter homines respectus ad invicem, quantò majora flagitabuntur, ubi præter generalem istam, ut ita loquar, conjunctionem, ad propriorem & arctiorem quandam vel naturæ vel commercium nos deduxerit attinentiam? Quodnam autem divinius atque eximius commercium, magis vè alterum alteri devinciens est, quàm prompta & nusquam non parata amicissimæ exhibitio Benevolentia? quæ quippe sublata, (prohibeor pluribus discurre) ut scivit Tullius, omnis est à vita sublata jucunditas. Hæcce mecum cogitans, VIRI PATRONI, non potui non extemplò subcolligere, quantum ipse Honori Vestro debeam. Condignè retribuendum esset, sed dum id non valeo, enixæ tamen voluntatis signum, præfens hoc Studior. meor. Specimen Vestris Nominibus dicare debui; cætera pro me spondet Comicus: Bonis, ait, quod benè fit, haut perit. Valet!

*V. R. atq. N. D.*

*Observantissimus*

C. W.



797.



# IN NOMINE JESU !

## Aphorif. I.



Quandoquidem nihil in rebûs mortalium perinde venerandum sit, atq; matrimonium, quippe ex quo ( non heri, nec nudius tertius, sed statim in primo mundi origine à DEO, qui ipse primi omnium conjugii paranympum, sacerdotem & parentem simul peregit, immediatè instituto ) liberi & omnis deinceps sobolis series existat, quod Regiones atque Civitates frequentes reddat, undè denique optima reipublicæ coagmentatio fiat : indeque illud (tùm suimet causâ, tum liberorum respectu) omninò ampliori, quàm alia, sollicitudine dignum sit ; uti satis bonè per plura differit religiosissimus Princeps Justinianus in Nov. 22. & 140. & idipsum multis numeris decãt at locupletissimus Jctus Carpzovius in pract. crim. quæst. 51. usq; n. ii. facîle hinc evenit, ut cum Legislatores & Prudentes Ethnici ex ipso naturalis rationis dictamine, confraudentibusq; publicæ rei necessitatibus atque commodis, tum verò longè maximè Christianitati addicti Imperatores ac Principes, Jurisq; Divini pariter ac Humani religiosissimi Sacerdotes, Consulti, secundum divinæ ac humanæ legis justissimam normam, venerandum hoc ex cælis demissum donum, infirmitatis remedium, humanitatis solatium, Reipublicæ & Ecclesiæ seminarium, verè Augustino sic dictum in c.

A 2

antep.





antep. c. 27. quest. 1. Platonī 4. de LL. innumerabilibus, iisque saluberrimis sanctionibus atque scitis communium iverint: quod evincunt, tot non solum Juris Communis elegantissima Leges ac Canones, sed vel maxime etiam hodiernorum Christianorum Imperii supereminentium Statuum ea de re promulgata divinis Ordinationibus Ecclesiasticis, & hujus cum primis ævi celeberrimorum Jurisconsultorum accumulata consultissima opiniones atque sententia.

II. Horum jam ex numero ea quoque sunt, quæ singulariter de secundis nuptiis in utroque Jure Legislatorum pariter & JConsultorum censuit autoritas. Cum n. iteratio matrimonii divinitus concessa in pari cum primis nuptiis versetur usu cottidiano, neque verò minus, imò quandoque magis, hi actus, ad conservandos castitatis ac honestatis terminos, providendi; ex primo jã federe prognata soboli, ceterorum quoque plurium causa, legitimam prudentiæ; cautelam opus habeant; hæc etiam in parte non sanè nullam juris condendi curam urgentissima deposcit necessitas: Quæ quidem, qualia l. pleraque sunt, quibusdam proponere lineolis, nostri hujus propositi est.

III. Secundas autem nuptias intelligimus hic, non simultaneas, sed *successivas*. Illæ enim, (etiam ubi vir plures uxores ducit) naturali atque divino jure prohibita. *Gen. 2. v. 18. & 22. Matih 19. v. 4. 5. & 6. Marc. 10. v. 11. Deut. 17. v. 17. 1. Cor. 7. v. 2. 4. ibi: hab ein jeglicher sein eigen Weib/nud etue jegliche hat ihren eigenen Mann. 2. Tim. 1. ibi: Wo einer ist untadelich eines Weibes Mann. Suth. D. 2. apb. 14.* (Licet dissentiat Bacch. ad Treutl. vol. 2. d. 6. th. 7. lit. C. & post eum alii, qui dum verba institutionis divinæ, quod unus mas & femina ac duo saltem in conjugio esse debeant, ita explicare, vel potius, removere volunt, qd. in multi uxoreitate cum singulis singula conjugia, adeoque in unoquoque saltem duo deprehendantur, omnino frustra sunt, ac non expendant, quod non tantum dicuntur, duo in conjugio esse debere, sed etiam sic, quod duo tantum in carne una esse debeant, quibus expressè secluduntur uni viro adjungi, quam una, plures, adeoque stante hinc



798

re hinc jugali copula unius cum una, statim verum adest atq;  
tam absolutum matrimonium, ut jam non possint fieri plura,  
absq; multiplicatione in una carne plurium, (quod tamen i-  
bi prohibetur,) absque injuria & maculatione prioris illius  
*arg. 1. ad Cor. 7. v. 4.* ibi: *Der Mann leiste dem Weibe (nicht sei-  
nen Weibern) die schuldige Freundschaft* &c. *Der Mann ist sei-  
nes Leibes nicht mächtig/ sondern das Weib/* absquevé tandé,  
quod summum rei nomen est, turpissimo adulterio *Matth. 19.*  
*Luc. 10. junct. c. 8. X. de divort. vers. sane veridica.* quod cum natu-  
ra probrum quoddam sit. *l. probrum. 42 ff. de V. S.* utique poly-  
gamia talis jure etiam naturali prohibita erit: cui accedit,  
quod prohibitiones divinæ morales in re ipsa nihil à naturalibus,  
sed modo saltem manifestationis differant. *Dn. D.*  
*VVendl. Præcept. meus colendisimus in Phil. Pract. l. 1. § 7.* Idem  
ergò de prohibitione polygamie subsumendum, eamque jure  
etiam naturali prohibitam dicendū. Benè hanc in ré Hiero-  
nym. *in c. quomodo 31. q. 1.* una costa inquit, à principio in unam  
uxorem versa est, & erunt, dictum, duo in carnem unam, non  
tres, neque quatuor: alioqui jam non duo, sed plures. Nihil  
moveret altera ratio dissentientium, quod possit vir plures uxores  
æquali amore conjugali prosequi (idem enim, si verum,  
possit & uxor, sed neuter puro & absque affectu adulterino)  
& possit pluribus fecundandis & alendis sufficere. Hic enim  
non est quæstio de posse viri naturali, sed de debito, honesto  
atque licito, quod recta ratio, indeque fluens ipsa lex naturæ  
jubet ac præcipit. Nullo ergò ex principio rectæ rationis  
naturali probandus est caninus ille atque bovinus cum pluri-  
bus congressus, quem uti constat, etiam pleraque animantia  
*à Natura* respuunt, nec cum aliis quàm sua sociola cohabitare  
amant. De jure autem Divino non obstant exempla in sacris  
litteris relata quorundam patrum. *Sive* enim dispensationem  
divinam intervenisse dicamus, (quod volunt August. *in c. 2.*  
*dist. 26.* Innocentius *in c. 8. X. de divort.* *Kaiserl. Erklärung*  
*wegen der Religion* de anno 1548. *tit. 21. §. 2.* *sive* ex pravâ il-  
lorum temporum consuetudine, posteritatis latius propagan-  
pæ causa, à divina ordinatione secessionem factam fuisse, &



hunc in illis necum à DEO toleratum & poenitentiam agentibus remissum, *d. quo Carpzov. quest. 66. n. 8.*, existimemus, utrobique ad extra vagantem excurrimus rationem, quæ ab ordinariâ viâ & communi regulâ defectit.) Illæ, inquam, simultaneæ, nostris in Legibus nulla permissione, nullaq; juris directione aliâ, quàm severâ solummodo, & adulteris consimili poenæ sanctione constrictæ atque dignæ judicatæ fuerunt. *Nov. 17. c. 11. aub. bodiè. C. de repud. P. H. D. art. 121. Carpz. d. quest. 66. n. 24.*

IV. Est enimverò hic præcipuus Juris Civilis nervus atq; notissimus ejus usus, ut prohibitiones Juris naturalis, divini atque gentium, specialibus civilibusqve distributionibus atq; coercionibus nondum permunitas, ad certas & expressas, atq; etiam graviores quandoque pro moribus subjectorum, poenarum sanctiones revocet, adeoque, *ut elegantissimè Imperatores in l. 31. C. de adult. loquuntur*, insurgere Leges, armari jura gladiò jubeat, ut exquisitis poenis subdantur infames. *Quòd apprimè fac. que tradit Subholt. de Jurisd. n. 8. & 9.* quæ saluberrima antidota forsitan & perveris illis Judæorum moribus sat in tempore obviare potuissent, si eos in tali Republica, qvalis jam Dei gratiâ nostra est, vivere contigisset.

V. Missis illis, nos in præsentî *de success. vis.*, omni jure permissis (quod probatione non magis, quàm Sol adventitio lumine opus habet, adeò ut Alber. Gentil. o fores earum haut injuriâ boves nominasse videatur, neque promissio viduitatis defuncto facta illas impedire possit *Carpz. l. 2. d. 172.*) acturi, *describimus eas*, quòd sint viri & mulieris (*legitima*) conjunctio, ab alterutro vel utròque post solum prioris sui conjugii vinculum iteratò facta, individuam vitæ consuetudinem continens, liberos procreandi & mutui adjutorii causâ. *arg. §. 1. I. de patr. potest. l. 1. ff. de R. N. junct. tot. tit. ff. C. de divor. ibiq; Dd. Rubr. & tit. C. de S. N.*

VI. Nimirum haut negabit ullus, differre ab invicè primas & secundas nuptias specîe: quò positò, vera earum differentia specîfica dabitur, iteratio, cætera, quæ proximi generis,



ris, ipsis ad æquè cū prim. retinētibus cōmunia. Ad excluden-  
 das in simultaneas, remotiore sub genere cōtentas, expressim  
 etiā in definitione necessariū antecedens s. causam earū sine  
 qua non, nempe prioris vinculi dissolutionem; (quæ tam hic  
 necessaria, ut quā diu prius tenet matrimonium, omninō  
 non possit fieri secundum, ita ut hoc de factō contractum, in-  
 invalidum de claretur, & ad prius ante omnia restitutio faci-  
 enda sit. *c. 1. X. de sponsal. & matr. c. 9. X. eod. c. 2. in fin. X. b. t. & si-  
 mil. text. Wes. ff. de nupt. ult.*) cujus solutionis jure hodierno  
 obtinentes modos, ut liberum nostris secundis aditum pate-  
 faciamus, mox, sed breviter, recensēbimus distinctiūs.

VII. Desinit igitur prius matrimonium (1) per mortem;  
 quæ quippe ut aliās omnia *N. 22. c. 20.* sic etiam matrimonium  
 dirimit *1. Cor. 7. v. ult. c. fin. c. 31. q. 1. Wes. ff. de divorc. Dn. Struv.  
 Ex. 30. th. 4.* Ac refertur hodiē huc etiā captivitas, quæ olim  
 quidem distinctus modus ab hoc, referenda que ad posteriorē  
 censum erat; at hodiē, cū nuntius mortis certus requira-  
 tur. *per autb. hodiē. C. de repud.* (non tamen observantur hodie-  
 num solennitates ibi expressæ, secundum Canonist. *Brunne-  
 mannus in l. 8. C. de repud.) c. in presentia. X. de sponsal. c. Dominus.  
 X. de sec. aupt. Petrus de Greve Ex. 17. aph. 28.* (de cujus probati-  
 one plura habet. *Carpz l. 2. d. 166. & seqq. Dn. Struv. Ex. 19. th. 54.*)  
 nihil nisi mors ipsa etiam hic per se rei causa est. Mortem  
 spiritualem propter amplexatum Monachismum. *Nov. 22. c. 5.  
 Nov. 123. c. 40.* quæ sponsalia de presenti, quæ verum matrimo-  
 nium sunt. *Sutb. d. 2. aph. 9. Petr. de Greve Ex. 16. th. 22.* dissolvi  
 volunt Pontificii. *c. 2. 4. 5. 6. 9. 14. X. de convers. conjug.* hodiē non  
 agnoscimus, meliora jam edocti per purum Dei verbum, cu-  
 jus unico dicto, illo Apostoli, *1. Cor. 7. v. 5.* omnes illas nugas  
 confundimus: *Entziehe sich nicht / inquit ipse, eines  
 dem andern / es sey dann aus beyder Bewilligung / et-  
 ne Zeitlang / daß Ihr zum Fasten und Beten müsse  
 habt / und kommet wieder zusammen / auff das euch  
 der Satan nicht versuche / umb euer unkeuschheit  
 willen.* Nulla hic approbatio monachismi, quem quidem  
 ipsi



ipſi colunt. Neque mors civilis hic conſideratur, cum hodie nemo ex prena ſervus fiat. *Nap. 22. c. 8.* ac ſi quis propter ingratitudeſ in ſervituteſ (quæ & ipſa eſt republica noſtra conceſſit) revocetur, per hoc tamen, tanquam malum ſuperveniens, neque uſum tori conjugalis praripiens, matrimonium diſſolvi haut poterit.

VIII. Solvitur (2.) vinculum matrimonii propter adulterium, fornicationem, *Wesemb. d. l. n. u.*, *Matth. 5. v. 31. c. 19. v. 9.* *Luc. 16. v. 18. Carp. l. Eccleſt. 2. d. 189.* (non obſtante ſeciore Canonistarum ſententiâ, contra quam egregia argumenta deducit *Wesemb. d. l. n. u.*) quò verbò comprehendi (vel ſaltem non excludi) *omnia delicta* adulteriò graviora aut paria, *quæ ſc. ſubſtantiam conjugii evertant*, ex S. Script. dictis & auctoritat. cum Imperator. tum patr. veteris Eccleſia tradit *Wesemb. w. ff. de divort. n. u.* idque propterea rectiſſimè deſcribit *Carpz. indefinitely, violationem fidei ac thori conjugalis in prax. 9. 52. n. 48.* adeoque conjux cum extranea quamvis ſoluta hic verum adulterium committit. *Carpz. in d. & quaſt. 53. n. 48. & ſeqq.* Hoc igitur caſu, niſi reconciliatio aut condonatio facita vel expreſſa intervenerit, parti innocenti (imò etiâ nocenti, ſi pœna eam nulla ſubduxerit, deficiente ſc. omni condonationis ſpe, *arg. 1. Cor. 7. v. 11.* indignitate ſuâ agnitâ, cum Magiſtratus cõſenſu, mutatò ſede fortunarum ac domicilii, & ut nuptiæ ſine pompa celebrentur. *Carpz. d. l. deſ. 191. Ritz. de matr. c. 3. 1b. 4. lit. l.*) ſi ipſe continere nolit aut non poſſit, ad ſecunda vota conceditur tranſitus. *per all. text. & Dd.*

IX. (3.) Dirimitur, matrimonium per & propter malicioſam deſertionem. *1. Cor. 7. v. 15.* qui textus licet loquatur de fideli deſerto ab infideli, attamen analogicè etiam ad conjuges Chriſtianos non malè extenditur. *Petr. de Grev. d. Ex. 17. a. pb. 28.* Atque hæc deſertio non abſurdè adulteriſ ſ. fornicationis, latè hac in materia acceptæ *per trad. Wes. ſuprà all. quædam ſpecies dici poſſet*, cum & ipſa fidem conjugalem, atque ipſum formale conjugii, nimirum individuaſ vitæ conſuetudinem & perennem ſocietateſ conjugalem, *Sub. d. 2. aph. 12.* perfidioſe deſtituat ac evertat; adeoque ad hanc non requiri-

mus





87  
800

mus (1) ut discedens l. aliam uxorem duxerit, vel cum alia consuetudinem iniverit; quod quippe licet absit, nihilominus fecius, quoad propositum & effectum vera desertio esse potest, maxime quia rectè hic conjicitur, quòd cum illa plerumq; conspiret tacitum adulterium, *Carpz. lib. 3. tit. 15. d. 70. n. 1.* Neq; igitur obstat, quod Salvator Noster solù adulterium legitimam divortii causam dixerit; cum eò non excludantur delicta majora aut paria, matrimonii substantiam evententia, imò in ipsa illa Salvatori usurpatà voce hæc omnia comprehendantur. *Wes. d. l.* Nec (2) requirimus *cum Pontif. & Canonist.* ut constet de morte conjugis desertoris, cum textus quos illi pro se adducunt ex *LL. auth. bodid. C. de repud. Nov. 117. c. 11.* de absentia necessaria ac probabili v. g. militia loquantur. Potest tamen etiam, quod hic obiter notamus, in absentia probabili, modò de vita absentis incertum sit, processus desertionis institui, atque eò per sufficientia intervalla absolutò, conjugii domi relicto ad novas nuptias facultas permitti *Carpz. l. 2. def. 170. Struv. Ex. 19. tb. 54.* sed hoc non fit propter talem absentiam, sed propter præsumtam mortem, aut absentia adjectam malitiosam desertionem.

X, (4) Causa divortii est Defectus & error qualitatis virginialis. *Surb. 2. 53. Carpz. quest. 63. n. 53.* cujus rationem convenientè quandam adsignat Dn. Struvius *Ex. 29. tb. 25.* quia, *inquit,* cum copula extra matrimonium sit illicita, adeoque virginitas ad matrimonium usq; servanda, q̄s tacitè de illa matrimonium ineuntes sibi invicem dant fidem, unde silentata reconciliatione Sponsus gratiam huic tacitæ datæ fidei violatæ facere nolit, rescinditur matrimonium. Propiorem ex parte tangit Arumæus *D. 15. thes. 6.* quia, *inquit,* de matrimonii substantia sic est castitas, ut dissolvi illud adulteriò certum sit. *Matth. c. 5. & 19.* facilius ergò & longè justius non contractum impediatur, quoniam, ut Dd. notant leviori occasione quid prohibetur, ne fiat, quàm ut factum dissolvatur. *Hæc illi.* Nos ut in hac re gravissima soliditatem veritatis instrueremur penitiùs, fundamenta totius causæ tali modo ivimus repetitum; nimirum, cum Divina

B

Beni-



Benignitas in principio rerum, ipsoq; creationis jam tandem  
absolvendo Nobilissimo opere, præprimis talem inter homi-  
nes ipsos contractum instituerit, ut quisvis pro inevitabili hu-  
mana indigentia subsidio vitæ sibi socium adscisceret, cuique  
præ suis ipsius parentibus arctiori copula adhereret, *Gen. 2. v.*  
*18. & seqq.* statim inde simul exclusum contrarium, taciteq;æ  
prohibitum, ne alius præter matrimonium liceret connexio:  
quod quidem, nisi mox consecutus protoplastorum lapsus,  
strenuè ab omnibus postmodum in omne ævum observatum  
fuisset; Verùm postquam ille concreati luminis obfuscator,  
atque justitiæ ac virium destructor, hodiernum, cheu! largi-  
ter deplorandus, invasit, denuò eandem legem expresse re-  
petivit Deus in 6. præcepto Decalogi, ibique, ut ortho-  
dorum unanimis explicatio, omnis generis commixtiones  
extra matrimonialem conjunctionem prohibuit: quo etiam  
tendit illud Apostoli: *Die Ehe soll ehelich gehalten se. Die Hu-  
rer aber &c &* satis apparet hoc etiam exinde, quòd Deus pro  
sanandis q; violatis matrimonii legibus de corrupta à corru-  
ptore in matrimonium ducenda legem præscripsit *Exod. 22.*  
*v. 16.* Quòd positò, sequitur, quòd non saltem copula extra  
matrimonium sit illicita, sed quòd etiam per illam in futurum  
matrimonium peccetur, illudq; q; quodam antecedenti adul-  
terio comaculetur. Quèadmodum igitur ex supervenienti adul-  
terio matrimonium dissolvitur, ita quoque ex præcedenti si  
per reconciliationem ei mederi non possit, illud rescindi pos-  
se consentaneum est. Quamvis n. adhuc incertum erat virgi-  
ni, cum quonam ipsi olim futurum esset matrimonium, sci-  
vit tamen atq; scire debuit, quòd ipsa jam lasciviendo ac ma-  
trimonii legibus insultando in illud gravissimè peccatura, a-  
missaque castitate & virginitate, q; quodam morali atq; le-  
gali puri matrimonii requisito, sese illò prorsus indignam  
redditura sit, adeò ut nisi quis post sciens volens ejus delicti  
gratiam sibi faciat, vel & ipse sibi fortean meliora non con-  
ficius castitatem suiq; de qua habeat, haur dubiè atatem suam  
pure meritò sibi innuptæ vivendum futurum sit. (Quam  
difficultatem obtinendi postea sponsi extra dubium inter alia  
divie



Divina Majestas respiciens satis salubriter de corrupta à stu-  
 prante in matrimonium adfiscenda, nec unquam dimitten-  
 da (er kan sienicht lassen sein lebenslang) expressa sanctione cu-  
 vit *Deut. 22. v. 28. & 29.*) Quodd si ergò quis ignorans talem  
 duxerit, cum ipse sc. suam pudicitiam integram usque huc  
 servasset, (aliàs n. ei honestas patrocinari non debet, qui ipse  
 honestatis decus violaverit. *Dn. Richter decis. 90. p. 1.* & legis  
 auxilium frustra implorabit, qui ipse in legem commisit. *l.*  
*auxilium. 37. in fin. ff. de Minorib.*) adeoq; spe omnino puri ac ca-  
 sti matrimonii jam olim à Sponsa sua violati sese immeritò  
 fraudatum inveniat, juri sanè non absolum fuerit à contami-  
 natrice concedere separationem, ni condonare velit. Cui  
 sententiæ etiam concordant expressa leges divina, *Deut. 22.*  
*v. 22.* quas si in hoc casu jure civili non deciso sequuti fueri-  
 mus, vix est, ut à veri scopo aberrare dici mereamur, *inquit*  
*Arum. d.l.* Pareat itaque, ut putamus, de jure divino atque  
 etiam naturali connato hæc sese omninò rectè habere, adeo-  
 que non magnoperè curandum, quicquid tandem jus Civile  
 hæc in parte statuerit vel prætermiserit, quippè quod in cau-  
 sis matrimonialibus hodiè præ divino non attenditur. Videtur  
 tamen etiam inibi idem benè quoad sententiam comprehen-  
 sum esse, *per l. 1. §. 5. ff. de A. E. & V.* ubi si quis ignorans pro vir-  
 gine sceminam fraudatus emisset, datur contractus rescissio.  
 Neque n. debet alteri per alterum iniqua conditio inferri *l. 24.*  
*ff. de R. J.* & iusta ignorantia ac probabilis error facti alieni  
 nemini fraudi esse debet. *l. 3. pr. ff. ad Maced. Add. §. ult. ff.*  
*de adult.* ubi stupri datur accusare eam, quam quis jam corrup-  
 ptam ignorans duxit in matrimonium, ut ibi ex contrario  
 sensu colligitur. *Carpz. in prax. p. 2. quest. 63. n. 59.* In  
 ea sanè, quæ jam desponsa corrumpi sese præbuit, satis  
 expressus est textus in *d. l. 13. §. 3.* de quo casu etiam loqui vide-  
 tur Leo Imperator in sua *Nov. 93.* eoq; ipse injuria priores  
 Leges prætermisionis cujusdam insinulaverit. Neque talis  
 casus etiam de jure Divino ullum dubium habere potest, *per*  
*Deut. 22. v. 23.* & quia sponsa in matrimonium jam inchoatum



adulterium committit. Dissentiant à suprâ disputatis Canonistâ, & eorum sententiam, postquam bene longè disputavit, approbans Wesemb. *o. ff. de nupt. n. 8. Brunnem. in l. 1. C. de repud.* qui ibi Canon. sententiam in Consistoriis recipiendam svadet, ille autem contra eam nihil admodum firmi, in quo pia mens acquiescere possit, adduci posse existimat. Attamen contrarium patet ex deductis, quamvis satis cautè in hujusmodi casu procedendum esse hujus nostræ sententia autores & fautores semper svadeant, & ipsi putamus, si virgini invitæ talis vitiatio accesserit, ipsi omninò parcendum esse, cum nihil deliquerit, neq; verò sine præexistente culpa poena alicui infligenda sit. *l. sancimus C. de penis.* Quinimò licet peccaverit volens, post lapsum tamen dolenti animo magis sedula castitatem custoditum iverit, tunc sanè Sponsus eam ex tali causa repudians in conscientia parum tutus esse poterit. Dissentiunt etiam quidam ita, ut tale matrimonium retrò nullum declarandum existiment, propter dolum & defectum quandam qualitatis essentialis, *Arum. d. l. Dn. Schröter. in not. ad Suth. disp. 2. d. aph.* Verùm cum expetatur plerumque semper virgo non propter virginitatem præcisè, sed propter formositatem, amabilitatem, divitias, &c. nullam etiam hic dabit simulatâ virginitas ipsa per se causam contractû. Et licet vel maxime daret, domi tamen adhuc controversum est illud principium, quod ipsi dolo danti causam contractû annectunt, & est hic materia ab aliis contractibus diversissima, nec virginitas propriè quædam matrimonii qualitas essentialis, uti satis bene tradit Sutholt. *d. D. 2. aph. 52. & 53.*

XI. Impotentiam generandi (præexistentem sc. & ab altero, qui sciens aliàs non contraxisset, ignoratam. *Struv. Ex. 30. lb. 40. non supervenientem c. bi, qui 32. q. 7.*) quod attinet, de qua in Nov. *22. c. 6. c. quod 27. q. 2. l. 10. cum autb. seqq. C. de repud.* huc, ubi verum quoddam matrimonium præsupponimus, minus rectè referri posse nobis de facili persuademus, illis assensientes, qui propter hunc errorem, tanquam circa qualitatem essentialem commissum, matrimonium jam ante nullum



802  
hum esse statuunt *Suib. d. D. 2. apb. 49. 50. Gratianus post. c. quod  
autem. 27. quest. 2. Can. in c. 1. c. requisisti. 13. q. 8. c. 5. c. laudabile. c.  
fraternitas. X. de frigid. & malefic. Dn. Struv. Ex. 29. th. 21. 25. Ex. 30.  
th. 40. adeoq; hoc casu rescissione nullā opus, & quanquam  
requiratur sententia quædam declaratoria, propterea tamen  
anteecessisse verum quoddam matrimonium, & aliud novus  
contractus secutus secundæ nuptiæ proprie dici haut potest. Si-  
militer sese res habet cum id genus pluribus, ut in morbo son-  
ticio. *Struv. d. l. Si erratum sit circa statum, necessitudinem,  
personam, vel si contractum sit ob metum, in furore, vel  
profunda ebrietate, &c. quibus speciebus regulariter (dantur  
n. exceptiones non unæ, ubi matrimonium ab initio firmum  
contrahitur, ita ut postmodum ex aliis, quàm recensuerim, &  
causis dissolvi non possit, ) verum & perfectum matrimoni-  
um ab initio non contrahitur* *Suib. d. l. Wes. ff. de nupt. & d. di-  
vort. n. ult. in fin. Brunnem. in repetit. π. Wesemb. ff. de nupt. quest.  
40. & seqq.* Circa supervenientem impotentiam, si illa ex  
culpa impotenti contigerit, tunc etiam cum sano & inno-  
cente ad novam matr. contrahendum dispensari posse, credit  
Panormit. *in c. ex literis. in fin. X. de frigid. & malefic.* Quibus si-  
milia habet Rennem. *in Jurispr. Rom. Germ. m. t. D. 42. th. 36. lit. C.  
D. existimans, ob supervenientes ex culpa casus atque mala,  
si per ea domestica conversatio & usus tori conjugalis omni-  
nō sit præreptus, sanæ & juveni parti, si se aliter continere nō  
possit, alias nuptias, causā cognitā, si infirmæ de cura & ali-  
mentis fuerit prospectum, maximè si fiat cum illius consen-  
su, non esse interdictas* Quod nos in medio relinquimus,  
illud hodiè vix à quibusdam Consistorialibus, nimis quàm  
anxiè verbis Christi *Matth. 5. 19.* inherentibus, impetratum  
iri benè memores. De hoc sanè minus dubitandum hîc fue-  
rit, si quis se dolosè inhabilem constanti jam matrimonio  
reddat, quia ipse tunc societate & fidè conjugale perfidè dese-  
ruisse verè judicari posset, benè omnino innocenti separa-  
tionem & nova vota concedenda fore; quo quippe faciunt  
*supr. allegata, quod in vocabulo τὸ πρότερον non, excludantur  
delicta**



delicta majora aut parva, quæ sc. substantiam Conjugii', (quæ est Individua vitæ consuetudo, procreationis & adjectorii finem annexum habens,) evertant.

XII, De eo sanè non immeritò queri possit, *annon* quandoque propter intolerabilem & insanabilem sævitiam, insidiarum vitæ structionem desperabilem, aut capitales & percontumaciam alterius irreconciliabiles inimicitias; & omnis matrimonialis affectionis & cohabitationis expertes, parti alteri, maxime omnimodò innocenti, quoad ipsum vinculam separatio, adeoq; ulteriora vota contrahendi facultas permittenda sit? Quod nos propter supra sapius ex Wesemb, circa continentiam & generalitatem vocabuli *opprobria* adductas rationes, indeque extractam regulam, hac in materia, ut putamus, verè auream, & quia ejusmodi perfidia non minus, imò quandoq; magis, ac ipsum adulterium (specifice sic dictum) vel malitiosa desertio conjugalis societatis fidem atque ipsam ejus substantiam, (Individa siquidem consuetudo est, talem se in omnibus exhibere conjugii, qualis quis ipse sibi est & esse debet, c. *beata Maria. 27. q. 2.* & idè per separationè voluntatis, s. præfractè destitutis fidè pactiois conjugalis matrimonij solvitur. *arg. c. omnis & seqq. d. q.*) funditus evertat, nec ex malicia alterius alteri hac periculosisima & iniquissima conditio, perpetua nimirum carentia matrimonialis sublevari; inferri, & quasi quidam laqueus Diabolice tentationis injici de *beat. Cor. 7. v. 15. 35.* non irrationabiliter, nec impiè tentari, & ex gravi causa, quam ipsam præsupponimus, fieri posse putamus, *cum Philipp. in L. d. conj. & Chytrao in comm. Marc. 19. Beato Lutero, qui Judicis arbitrio relinquit, qualiter consulere velit, Wigand. in f. lib. d. divor. eò proclivius, quòd propter insidias ad actum praximum pertentas capitalis, & in reliquis casibus propter inemendabilem adversus divinas conjugii Leges continuatam perfidiam religationis vel consimilis pœna ejusmodi refractario atq; nebuloni irrogari possit, & sanè debeat. Vengerent enim hæc delicta in fornicationem & adulterium quoddam; (id quod etiam carnaliter datà occasione à perfido coadmitti, similiter, ut in malitiosa desertio, his quoq;*



fortissimè conjecturari potest, ) at illud, si leviter, relegationē tamen puniri, de jure notum est. Non obstat textus Matth. 5, v. 31. 32 quia ibi talis repudiata intelligitur, quæ tali repudiationi & ipsa leviter consentit, nec prius omnibus reconciliationis mediis usa, ipsaq; Magistratus, ( ut qui jam nunc talem repudiationem omnino non probaturus, nec inde statim liberam à vinculo repudiatam pronunciaturus esset, ) hanc ad rem autoritate neglectā, ad alterum virum venit. Loquitur n. Salvator Noster *ad l. latis clarè de nudo secundum morem Judaicum ipsorum divertentium facto, & ausu repudiatæ levi ac proprio, cum dicat: repudians facit, i. ansam & occasionem reddit; ut repudiata moechetur, i. ut illa tali improba repudiatione acceptata, credens se nunc statim solutam & liberrimi arbitrii dehinc existentem, alteri se, quantum quidem in ipsa est, primo quovis tempore jungat, adeoq; moechetur. Neq; obstat, quod solum adulterium ( *der Ehebruch* / ) legitima causa ibi exprimat, si quidem tam strictè verbo illo inherendum non esse, jam supra aliquoties confirmavimus, & aliàs nec Apostolus de ceteroneis, ad jicere potuisset, quā cum hæc talia delecta in effectu coincidunt. Momentosa quidem est regula illa divinitus tradita: *Quod DEUS conjuxit, homo ne separet; Matth. 19. v. 6. Ver. 10. ff. d. divort. n. ult.* Sed præterquam quod CHRISTUS ibi de ipsis conjugibus divertentibus loqui, eisq; solitum improbabilem morem divertendi denegans, Magistratus Officium ex justa & urgente, causa separationem fieri permittenti non omnino excludere videatur; probè advertendum quovis est, quod hodie in enumeratis casibus Magistratus diremptionem matrimonii ipse, non faciat ( imò magis ad id conservandum legitima omnis generis remedia adhibeat, & jam etiam fracti reconciliationem semper svadeat; ) sed quod ipse omnibus tam conservandi, quam reconciliandi jam frustra adhibitis mediis, innocenti parti, id urgenti, absolutionis sententiam qsi. declaratoriam ( uti docuit nos jam olim Magnificus Dn. Præses, Excellentissimus Ultriusq; Juris Antecessor ac Præceptor noster dexterrimus in *præl. publ. super Infr. 1: CC.* ) de promat, ( quo tendit illud, quod dr. in *e. quos DEUS 33. q. 2.* non homo se parat, quos poena condemnat, quos*



quos reatus accusat, quos malificium coarctat. Add. Zangerus *inc. 7. X. d. sent. & re jud.* ) eiq; ne præter jura & merita ductiùs, non absq; præsentissimo periculo, infirmitatis illò remediò ac humanitatis solatiò careat, ad novas nuptias transitum permittat, nocentem autem satis graviter pro qualitate delicti puniat atq; coereat. Quod omninò melius, quàm CC. illa, quoad thorum saltem & mensam separatio, eo inducta, *ut vult Wes d l. ne facilè solverentur conjugia*, & spes reconciliatibnis velut ex quod. necessitate major remaneret. Verùm enim, neq; hic ex facili fit separatio, neq; præter ipsa jura divina conscientiosi esse, nec iniquas & intolerabiles condiciones innocentibus consuere, inq; præcipitium malorum dare, malos autem pulpate debemus. Ac si ipsi tam rigorosi sunt in concedenda totali separatione propter adulterium; (quod ipse DEUS concedit, *loc. all.*) cur tam faciles sese præbent divertentibus ad Monachismum? ex causa sanè etiam expressè divinis literis prohibita. *1. Cor. 7. v. 9.* De sententia contra matrimonium ab causam fornationis lata, an illa in rem judicatam transeat, & quando propter errorem revocari possit, ac conjux conjugi restitui debeat, vid. Zanger. *in d. c. 7. X. d. sentent. & re judicat. n. 52. & seqq. usq; ad n. 93.* plura hic non addimus,

Remotò sic primarum nuptiarum impedimento, jam nunc ad secundas datur transitus: Ubi tamen ante omnia accuratius disquirendum inter casus, personas & licentiae modos. Cæterum pro temporis ratione tela atq; vela hæc nostra nunc quidem contrahimus, proposituri, quæ restant, alio tempore, datura sic, ut speramus, atq; auxiliatura profundissimâ Benignitate Divina: Cui sit Laus, Honor & Gloria, in sempiterna secula!













X2615925


VDA7











Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

IS Noster benè beateda vertat! D. XXXIX.  
TATIO JURIDICA  
*wegnyr. d. d. n.*  
DE

796.

70

UNDIS  
PTIIS,

*23*  
*Ay. H. t. m. c. le. G. vortyr*

*Quam,*  
m Collegio approbante,

OB PRÆSIDIO  
VIRI

TOBILISSIMI, AMPLISSIMI,

ARIS ZIEGLERI,

cessoris in hac Academia, fa-

nis. ac Potentis, Electoris Saxo-

cultatis Juridicæ Ordinarii, nec non

Provincial. Consistorii Ecclesiasti-

s Assessoris gravissimi, dignis-

fimi,

ac Præceptoris sui plurimum

observandi,

ico Examini submittit

AUTOR  
ANUS **W E N D E I**

ennebergiâ-Francus.

MATHENÆO JCTORUM,

d. Maij.

Typis Johannis Haken, 1668.